

Nota penes veteres attritionem quoque dici eam, quae est disiplentia peccati, quatenus est offensa Dei, sed ex velleitate, non ex voluntate absoluta et efficaci, habet scilicet imperfectum desiderium placendi Deo et dimittendi peccatum. Cf. Cano. Rel. Poenit. P. III. Id modo monuisse sufficiat.

S. II.

De efficacia contritionis perfectae.

Quoniam amor contritionem perfectam gignit, notionem aliquam amoris Dei heic adumbrare in quaestionis ingressu non pigebit. Itaque

THESIS XXII.

(2<sup>o</sup>. 2<sup>o</sup>. qq. XXIII. et XXVII.)

*Actus amoris erga Deum multiplex distingui potest, nimirum amor non formaliter talis, sed materialiter potius, ratione nempe rei volitae: amor, qui sit complacentia quaedam, licet inefficax, divinae bonitatis: amor quasi concupiscentiae seu potius familiaritatis, qui et amor imperfectus amicitiae dici potest, quo diligitur divina bonitas prout bona est diligenter: amor perfectus amicitiae, quo diligitur divina bonitas propter se ipsam, seu quia est in se infinite bona. Hic autem amor amicitiae ut fundamentum supponit Deum amatum esse bonum amanti; eiusque formale motivum non excludit respectum ad Deum amatum ut bonum amanti, quamvis illum sibi subordinet. Porro de hoc amore amicitiae erga Deum affirmamus 1) quod possibilis est: 2) quod ex divina revelatione eius notio hauritur.*

I. Constat ex Tractatione De Gratia Dei nomen *caritatis* penes Augustinum sub uno conceptu generico plures specie diversas significaciones habere: idem porro dicendum de nomine *amoris* erga Deum, quod multipliciter exponi potest. Amor per se sumptus, prout est primus actus, qui in voluntate existit ex cognitione boni, (s. Thom. 1.<sup>o</sup> 2.<sup>o</sup> q. XXVI, a. 2<sup>o</sup>) est *complacentia boni*, quae est adhuc amor rudis et inchoatus. Cum vero voluntas illud bonum, quod placet, vel ad se vel ad alterum refert, dicitur proprie *amare*, quod est velle bonum alicui.

Iam vero voluntas multipliciter dici potest velle bonum Deo. Sane cum voluntas vult id quod redundat in obsequium et honorem Dei,

cuiusmodi est observatio legis, vult id, quod est bonum extrinsecum Deo. Quamvis ergo id velit propter motivum prorsus diversum a motivo amoris Dei, puta ex timore poenarum; quia tamen vult id, quod est bonum Deo atque id in Deum tanquam in finem tandem refert, dici potest velle bonum Deo, ideoque hoc sensu dici potest amare Deum. Hic non est amor *formalis*; quia illa voluntas servandae legis ex timore poenae non est actus amoris, sed est amor *materialiter*; quia voluntas vult id, quod est materia actus amoris. Est praeterea actus amoris *virtualis*, non quidem ratione perfectio- nis actus, quatenus ea voluntas in sua perfectione contineat perfectionem actus amoris, sed *ratione rei volitae*, quatenus volens obser- vare legem Dei, vult non tantum referre actus suos in Deum ut in fi- nem, sed vult quoque diligere Deum; nam et dilectio Dei preecepta est.

Amor autem *formalis* huiusmodi esse potest, ut placeat nobis Deus eique bonum velimus, eius gloriam appetentes, sed tamen affectu adhuc inefficaci, qui sit potius velleitas quam voluntas. Hu- iusmodi amorem quisque in se aliquando experiri potuit, quo in Deum animus fertur, nondum tamen eius vi potens omnia adver- santia fortiter superare, h. e. nondum Deum super omnia diligens. Hunc esse amorem putamus, de quo loquitur s. Thomas q. V. Suppl. a. 3: «Amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem caritatis». Liquet per hunc actum non preferri aliquid Deo, sed tantum per eum actum nondum animus preferre *efficaciter* Deum omnibus; quod tamen non impedit quominus habitualiter, aut per actus ex aliis motivis determinatos animus Deum omnibus rebus preferat.

Amor vero efficax et inefficax (satis autem nunc erit loqui de efficaci) duplex rursus esse potest, dividique solet in amorem concupiscentiae et amorem amicitiae. Amor dicitur concupiscentiae, quo Deus diligitur quatenus est bonus nobis. Deus enim, cum sit bonus in se ipso et bonus nobis, sub utroque respectu diligere potest. Diffi- cultas quidem est quoad priorem amorem, verum haec solvetur paulo post, cum de eo speciatim disseremus.

II. Nunc de amore Dei prout est bonus nobis. Huius autem affirmamus distinguendum esse duplum modum; nam quoniam Deus obiectum est nostrae beatitudinis, dupli modo ferri potest amor noster in huius beatitudinis obiectum. Primo quidem quatenus directe diligimus nostram beatitudinem, prosequentes beatitudinem nostram affectu respondente illi, quo abhorremus ab aeterna miseria inferni. Novimus quidem beatitudinem nostram obiectivam esse Deum; at in hoc amore, quo nostram tantum beatitudinem appetimus felicesque esse volumus, divinae perfectio bonitatis se habet

potius materialiter quam formaliter; quod enim volumus et diligimus nobis, est per se id, in quod ab ipso amore nostri ferimur, beatos scilicet nos esse: quia vero scimus id non nisi in caelis esse assecuturos possidentes Deum, hinc volumus hanc specialem beatitudinem nobis. Alter modus amoris Dei boni nobis ille est, quo directe ferimur in ipsum Deum, qui quatenus talis placet nobis, eoque proinde frui volumus, eumque possidentes ipsi adhaerere, non sub hac ratione formalis, quia volumus beati esse, sed quia Deus Deique unio et familiaritas placet, ita ut etsi in hoc non esset sita nostra beatitudo, id nihilominus vellemus. Terminus formalis huius amoris est ipsa divina bonitas communicanda nobis. Porro cum de amore Dei boni nobis loquimur, intelligimus nunc illum, qui hoc altero modo se habet.

Iam vero de hoc amore affirmamus 1º quod ipse est maxime honorificus Deo; per hunc amorem enim praefert homo Deum omnibus rebus tanquam summum bonum, cuius participatione ipse sit felix; eumque in existimatione praefert sibi, nam non in se sed in Deo quiescere vult: 2º est maxime honestus, abstrahit enim hominem a quovis affectu minus ordinato, Deoque ultimo fini intime coniungit. 3º Quamvis in hoc amore *finis cui* sit ipse diligens, non est tamen *finis qui* ultimus; etenim hic amor sui ipsius ordinabilis est per se in amorem, quo Deo tanquam *fini cui* bonum velimus, qui amor perfectior proinde ab alio non excluditur, sed in illo virtualiter saltem continetur; volentes enim frui summo bono, volumus ipsum cognoscere amare et glorificare, et cum nostra possessio Dei ad eius gloriam referatur, in Deum *finem cui* implicite tendimus, cum ipsum *finem cui* ultimum nobis amamus. 4º Huiusmodi amor non est purae concupiscentiae. Scilicet bonum dilectum proprio amore concupiscentiae spectatur ut medium, quatenus conductus ad assecutionem alicuius boni, quod attingimus alio actu ac eo quo medium adhibemus, et sic habet locum usus: at Deo non utimur, sed fruimur, non ad aliud bonum nostrum ordinantes ipsum, sed in ipso bonum nostrum collocantes. Quare satius dicitur amor familiaritatis, quo volumus cum Deo esse eoque frui, sicut amicus desiderat praesentiam et familiaritatem amati. 5º Hoc amore diligimus Deum *propter se*, seu *ratione sui*. Ita summi Doctores et dilectores Dei censuerunt, Augustinus, Thomas, Bonaventura, aliisque. Augustinus in Psal. LIII, n. 10: « Deus noster laudetur voluntate, ametur caritate, gratuitum sit quod amatur et quod laudatur. Quid est gratuitum? ipse *propter se* non *propter aliud*. Si enim laudas Deum ut det tibi aliiquid aliud, iam non gratis amas Deum. Erubesceres, si te uxor tua *propter divitias* amaret, et forte si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret.

Cum ergo te a coniuge gratis amare velis, tu Deum propter aliud amabis?... Non tibi terram sed se ipsum servat, qui fecit caelum et terram». Et Serm. 178. c. 10. « si ad hoc quod dictum est: faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam poenam putasti, gratis amasti ». Serm. 334. n. 3: « Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi, praeter illum nihil sufficit tibi ». Thomas qq. disp. De Caritate a. 4º: « Manifestum est quod possumus aliquem diligere dupliciter. uno modo *ratione sui ipsius*, alio modo *ratione alterius*. Ratione sui ipsius, quando eum ratione boni proprie diligimus, utpote quia est in se honestus vel nobis delectabilis aut utilis: ratione autem alterius diligimus aliquem, quando diligimus ipsum, quia attinet alii quem diligimus... Sic igitur dicendum quod caritas diligit Deum ratione sui ipsius, et ratione eius diligit omnes alios ». Bonaventura in III D. XXVII, a. 1. q. 2: « Actus caritatis est diligere: diligere autem est idem quod velle bonum. Cum ergo caritas diligit aliquem, bonum optat ei, quem diligit. Istud autem, quod caritas optat, unum solum est, videlicet bonum aeternum et summum. Istud autem summum bonum aliquando homo per caritatem optat Deo, aliquando proximo. Secundum quod optat ipsum ipsi Deo, dicitur diligere Deum, quia vult quod ipse Deus sit summum bonum, et quod habeat omne bonum per essentiam... secundum quod optat illud sibi sic dicitur diligere se ipsum. Generaliter ergo in actu dilectionis ipsius caritatis unum est bonum optatum, licet multa sint quibus bonum optatur, et illud est obiectum principale ipsius habitus diligendi, quoniam ipsum *propter se* optatur a caritate, ita quod habet rationem obiecti principalis moventis et finis quietantis ». Et re quidem vera dupliciter aliquid dici potest diligere *propter se vel ratione sui*; altero modo ut *finis qui*, ita nempe ut non propter alia bona ab eo distincta, sed propter bonum quod est ipsum diligatur: altero modo ut *finis cui*, ita nempe ut non quatenus bonus nobis diligatur, sed quatenus est in se ipso dignus, cui bonum velimus; ut ideo optemus et gaudeamus quod ipse sit bonus et ut talis cognoscatur, ametur et laudetur. Ratio cur etiam primo modo dicatur bonum *propter se amari*, est quia amatur ut *finis*, et *finis propter se* diligatur. (Cf. IIº. IIº. q. XXVII, a. 3). Adverte tamen quod recentiores Theologi cum de amore Dei *propter se* loquuntur, eum intelligunt, quo Deo ipsi bonum volumus de eiusque bono gaudemus, quem dicunt amorem amicitiae: Augustinus vero frequentissime eam locutionem usurpans, illum amorem intelligit, qui modo a Theologis dicitur concupiscentiae vel quasi concupiscentiae (cf. Faure in Enchirid.

ad c. 8). 6º Huiusmodi amor, qui dicitur quasi concupiscentiae, est amor caritatis. «Sicut spes (ait Bonaventura l. c. ad 6º) innititur summae potestati, sic caritas adhaeret et adhaerere facit summae bonitati, et ille est eius actus primus et unicus, ex quo oritur et in quo clauditur amor concupiscentiae et amor amicitiae. Et propterea sicut spes non diversificatur propter actum confidentiae et exspectationis, sic nec caritas propter actum amicitiae et concupiscentiae». Quibus in verbis amor amicitiae presse sumitur, qualem prius idem descripsit, quo volumus ut ipse Deus sit summum bonum.

Hac vero in re distinguenda est amicitia a simplici amore amicitiae, qui sine illa quoque haberi potest. Amor enim amicitiae est actus, quo alterum per se diligimus, etsi ille nos non diligit. Hic autem amor duplex est, qui in omni vera amicitia reperitur et quem omnis amicitia exigit. Prior est, quo alteri tanquam *fini cui bonum volumus*; alter est quo eiusdem personae amatae consuetudine frui volumus. Porro caritas est amicitia hominis ad Deum (II<sup>a</sup>. II<sup>o</sup>; q. XXIII. a. 4º).

III. Dicimus itaque quod amor iste familiaritatis erga Deum bonum nobis, ad amicitiam spectat, quam habemus cum Deo, propriusque est actus caritatis existentis in nobis. Itaque advertendum est quod in vera amicitia inter homines hic amoris actus frequenter ab amicis elicetur, et placet hominibus sic quoque amari, imo exigitur. Nam amicus desiderat sibi praesentiam et consuetudinem amati eoque fruitur, et maxima est existimationis significatio hoc desiderium; significatur enim magnum bonum esse in amato, cuius familiaritas desideratur: ita ut non censeretur verus esse amicus, qui nullam haberet sollicitudinem vivendi cum amato, quique protestaretur quidem se diligere, nullo tamen in pretio habere consuetudinem cum amato. «Dicunt hoc stulti quidam, et tam stulti ut se ipsos non intelligent... Diligimus, inquit, ipsum, sed non quaerimus ipsum. Hoc est dicere: diligimus ipsum, sed non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nolle a vobis», ait Hugo Victorinus De Sacram. L. II. p. XIII, c. 6. Cf. Card. Gerdil Dell'Attrizione P. II. §§. 1. 2.

Censet autem Suarez actum hunc amoris erga Deum esse actum spei (De Spe, D. I. S. 3.) contenditque hanc esse sententiam s. Thome tum in q. Disput. De Spe, a. 3, tum in II<sup>a</sup>, II<sup>o</sup> q. XVII, a. 8. Verum ad s. Doctorem quod spectat, ipse non docet amorem huiusmodi esse actum spei; sed in quaestione disputata dicit quod «spes, sicut et timor, derivatur ex amore imperfecto Dei» quo «aliquis rem aliquam amat, non ut ei bonum in se ipsa velit, sed ut bonum illius sibi velit», qui amor in respons. ad 4 dicitur «amor sui ipsius, quo quis optat bonum divinum». In summa vero l. c. non

dicit quod amor imperfectus sit spes aut pertineat ad spem; sed dicit quod *spes pertinet ad eum amorem*. En eius verba «spes, sicut et omnis appetitus motus ex amore derivatur (cf. I.<sup>a</sup> II.<sup>o</sup> q. XXV, a. 2). Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, ut puta cum aliquis vult secundum se alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad caritatem, quae inhaeret Deo secundum se ipsum; sed *spes pertinet ad secundum amorem*, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit». Iam vero cum dicitur quod amor perfectus pertinet ad caritatem, significatur quod ab caritate pendet, vel quod est actus caritatis; sed cum conversa oratione dicitur quod spes pertinet ad amorem, significatur tantum quod spes pendet ab eo, et ab eo regitur; id enim sufficit ut spes ad eum pertineat. Itaque non est necesse ut cum Suarez ita interpretetur s. Thomam, praesertim cum in initio argumenti diserte asseruerit spem ab amore procedere, quem deinceps declarat esse amorem illum, qui imperfectus est. Habemus tamen ex s. Thoma quod cum huiusmodi amore imperfecto est coniuncta spes, ac necessario coniuncta, illumque esse spei rationem. Et re quidem vera cum spes omnis sit quoddam desiderium cum exspectatione, ut paulo ante audivimus a s. Bonaventura, aliquem certe amorem boni supponit. Non supponit autem necessario proprium amorem caritatis: nam spes est et in iis, qui nec habitualiter nec actualliter diligunt Deum.

Neque amor ille erga Deum, quem diximus familiaritatis, est actus spei. Etenim prior per se praescindit ab absentia vel possessione amati idemque et perfectus est cum bonum amatum possidetur: spes vero est in bonum absens, eademque tota cessabit cum possidebitur beatitudo. Sane aliud formaliter est velle frui atque frui consuetudine amici, aliud exspectare hoc bonum ab alio, quod est essentiale spei: atque aliud quoque est ac illud desiderare; quia, ut diximus, ille idem actus perseverat succedente possessione boni, qua existente desinit desiderium. Ex omnibus igitur disputatis patet, amorem hunc, quem diximus familiaritatis, non esse actum spei, sed esse actum caritatis licet minus perfectum.

IV. Amor vero perfectus amicitiae erga Deum ille est, quo Deus (ut loquuntur generatim Theologi) *propter se ipsum* diligitur. Sed quia *propter se* dupli modo (cf. dicta paulo ante) intelligimus; nunc ita accipimus, ut ille propter se diligatur, qui est *finis cui voluntas vult bonum*, et potissimum si est *finis ultimus cui*. Cum itaque

voluntas complacentiam habens divinae bonitatis, eam diligit, non quatenus est bona diligenti, sed quatenus est in se bona, et vult sive gaudet Deo inesse tot intrinsecas perfectiones, eique desiderat extrinsecam gloriam et honorem, quia hoc est bonum Dei; amor est amicitiae erga Deum, et est amor perfectus, quia in hoc proprio consistit amicitia, atque in genere amoris est excellentissimus amor. Obiectum ergo formale huius amoris est bonitas (ontologica) divina in se ipsa.

Porro huiusmodi amor, quo Deus propter se diligitur, nisi sit sterilis quaedam complacentia et affectus inessicax, in Deum fertur *super omnia*. Deum diligimus *super omnia* volendo ei maiora bona, quam omnibus aliis, scilicet divinum esse divinosque honores, ipsum omnibus existimatione et affectu praferendo ita ut animus ex eius amore paratus sit omnia desplicere bona et cuncta mala pati, ne ipsi displieat saltem graviter ut eius nempe amicitiam violet. Atque per hunc amorem perfectissimo modo magis Deum, quam se homo diligit, constituit enim Deum *finem cui se totum dirigit et subiicit*, magisque gaudet de bono Dei, quam de suo bono (I<sup>a</sup>. II<sup>a</sup>. q. XXVI. a. 3). Quare haec proprietas *super omnia* licet competit etiam amori imperfecto, qui Deum omnibus praeferit, in quo, potiusquam in se ipso vult quiescere et gaudere, competit tamen complete amori perfecto amicitiae, quo Deus habetur ut *ultimus finis cui omnium*. Atque hinc est quod hac appellatione *amoris Dei super omnia dilecti* designari solet amor iste purissimus, de quo loquimur (cf. Lugum De Poenit. D. V. S. 4.).

V. Ne vero praepostera notio huius amoris informetur animo, advertimus duo. Primum est: distinguendum esse obiectum amoris amicitiae a fundamento ipsius. Fundamentum dicimus quod supponendum est ad modum conditionis, ut amor amicitiae esse possit. Id porro in eo est quod obiectum dilectum sit bonum diligentis.

Haec est enim natura voluntatis, ut non tendat nisi in bonum; sed si obiectum aliquod non habet respectu ipsius rationem boni, perinde est ipsi ac si non esset bonum. Oportet ergo ut obiectum, quod voluntas amat, sit bonum voluntati, hoc est sit aliquo modo bonum suum, ad ipsam nempe spectans, bonumque sit, cuius dilectio sit bona voluntati.

Verum aliud est obiectum esse bonum voluntati, aliud diligi a voluntate eo quod est sibi bonum. Illud enim postulat ut quod diligitur sit bonum voluntati bonaque sit voluntati ipsa eius dilectio, quod quidem in ipso exercitio actus voluntas experiri potest atque implicite de eo sibi complacere: hoc alterum vero exigit ut formalis ratio, sub qua aliquid diligitur, sit ipsa eius bonitas

relativa. Iam vero potest esse primum sine altero. Quod 1) experientia liquet; non enim quidquid volumus, sub hac formalis ratione volumus, quia bonum nobis. Liquet 2) ratione; nam inter rationes boni diligibilis est etiam haec, quod bonum aliquod et praesertim divinum sit per se diligibile: cum ergo voluntas sit facultas universalis ad bonum ut possit ferri in quamlibet rationem boni ei ab intellectu propositam; ex hac universalitate voluntatis sequitur quod Deus per se diligi a voluntate possit. Quia vero voluntas diligit bonum suum, inde quidem consequitur quod Deus per se dilectus debeat esse bonum voluntatis; non tamen quod sub hac ratione diligatur. Est autem Deus per se dilectus bonum voluntatis quia 1<sup>o</sup> est ipsum illud bonum, quod spectat ad voluntatem, eo quod ipse Deus finis est voluntatis: quia 2<sup>o</sup> Deus per se dilectus, quatenus etiam talis, est bonum maximum voluntatis. Nam cum Deus sit finis cui ipsa voluntas, sicut quaevis alia res, est ordinata, ordinatio vero huiusmodi exigat ut Deus propter se diligatur, eo ipso bonum est ad voluntatem spectans eique maxime conveniens ita ferri in Deum, h. e. Deum propter se diligere, actusque est honestissimus et suavissimus voluntati Deum propter se diligere deque eius bono eiusque felicitate gaudere.

Itaque fundamentum est amicitiae erga Deum, quod Deus sit bonum voluntatis, sit bonum, quod voluntati maxime convenit diligere, bonumque sit voluntati in ipsum ferri. Hoc autem posito, voluntas ratione habita obiecti, Deum propter se diligit, ei bonum volens propter se ipsum deque eius bono propter ipsum gaudens, cuius amoris obiectum formale est Deus bonus in se ipso non bonus nobis: ille tamen actus voluntatis et est circa bonum et, quia est circa tale bonum, est circa bonum nostrum, et est idem actus maxime nobis bonus et delectabilis. Sane maxima est perfectio voluntatis Deum ita diligere, quia talis actus est ordinatissimus, secundum quod exigit natura boni, ideoque etiam secundum quod exigit natura facultatis, quae non est facta nisi ad bonum.

Igitur distinguendum est fundamentum amoris amicitiae ab eius obiecto formalis: necesse est ut quod diligitur sit bonum diligenti, et necesse est ut voluntas in eius dilectione perficiatur; sed non est opus ut hoc sit motivum diligendi; potest enim esse motivum ipsa bonitas per se dilecta, cuius tamen dilectio est maxime delectabilis et maxima voluntatis perfectio. Id tantum dicere voluit s. Thomas, II<sup>a</sup>. II<sup>a</sup>. q. XXVI. a. 43. ad 3. « Dato per impossibile quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi ». Scilicet nulla esset ratio cur a nobis diligenteret Deus.

VI. Alterum, quod advertendum dicimus, illud est, nimirum li-

cet hic amor perfectus amicitiae sit actus per se distinctus et diversus ab amore imperfecto, ipse tamen illum non excludit, sed secum ipso patitur, attamen sibi subordinatum. Quod debeat esse subordinatus patet, quia id requirit dignitas obiecti et quia nequit voluntas aequa principaliter ex duobus diversis motivis agi.

Ut ergo utriusque amoris amicitiae perfecti et imperfecti erga Deum sociabilitas declararetur magis, advertimus quod perfecta amicitia inter homines non postulat ut amicus non diligit amicum quatenus etiam est sibi bonus, multoque minus ut non delectetur in ipso: sed solum ut amicum diligit propter ipsum, et magis diligit amicum propter ipsum, quam eo quod est sibi bonus. Et re quidem vera, cum aliqua res sub dupli respectu attingi potest, quorum respectus alter alteri possit subordinari, tunc ut ea res sub respectu nobiliori formaliter attingatur, non est necesse ut alter respectus omittatur, sed satis est ut hic priori subordinetur, tunc enim nobilior respectus, priores partes obtainens, se habet ut ratio formalis actus, relate ad alium, qui se habet ut elementum materiale. Porro quod Deus sit *bonus nobis et bonus in se*, respectus duo sunt, sub quibus diligi potest Deus, et hic est illo nobilior. Possunt autem hi respectus subordinari. Nam ex parte rei unus est alteri subordinatus; ideo enim Deus est bonus nobis, quia est bonus in se. Ex parte vero actuum nostrorum, quibus Deus attingitur, potest amor Dei boni nobis subordinari amori Dei boni in se; possumus nempe possessionem Dei, quam amore imperfecto nobis amamus, referre in honorem et gloriam Dei, hanc potissimum cupientes, eamque in ipsa possessione Dei quaerentes, volentes Deo frui, ut Deus exaltetur in nobis, eumque, ut par est, diligere valeamus, ita existentes animo comparati ut nobis magis placeat Dei gloria, quam nostra felicitas, et si per impossibile alterutra amittenda foret, huius potius quam illius iacturam facere velimus. Hac autem subordinatione existente, Deus formaliter propter se ipsum diligitur, ideoque habetur actus perfectus amicitiae; ergo amor Dei propter se non excludit amorem Dei boni nobis. Neque necesse est ut ea subordinatio explicite et reflexe fiat; ea enim iam virtualiter continetur in efficaci amore Dei propter se ipsum, in quem tanquam in *finem cui* nos ipsos nostraque omnia referimus.

Et adverte discrimen inter amicitiae amorem erga hominem et amicitiae amorem erga Deum. Nam, quia homines sunt inter se aequales, amor amicitiae erga hominem est ad eum, ut ipse est unum cum amante, atque amor sui est veluti norma amoris erga alterum, iuxta illud: *diliges proximum tuum sicut te ipsum*. At cum Deus sit infinitum bonum atque finis hominis, amor hominis est ad se

ipsum prout ipse est unum cum Deo, atque amor Dei est norma amoris sui.

Praeterea amor Dei propter se est operatio maxime delectabilis et honesta, bona proinde ipsi diligent; in ipso ergo exercitio huius amoris bonum proprium procuratur: nequit igitur in amore Dei propter se praescindi prorsus ab amore sui.

VII. Potest et extrinsecis argumentis probari quod amor perfectus amicitiae cum Deo non excludit amorem Dei ut boni nobis. Etenim ille amor perfectus est certe actus caritatis, cum sit nobilissimus amor Dei; amor vero imperfectus vel est actus caritatis, vel, ut liberales simus, est actus spei, sed non magis quam spes a caritate discedens: atqui constat caritatem non excludere spem, neque ullam actum caritatis in hac vita cum quovis actu spei repugnare: ergo. Sane hic est error damnatus ab Innocentio XII in propositionibus 23. super amore erga Deum purissimo, error nimurum excludens actum spei, sive amorem Dei ut boni nobis desideriumque beatitudinis, a perfecto statu sanctitatis christiana. Ita enim habet propositi 1<sup>a</sup>. « Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, et sine ulla admixtione propriae interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amat amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam ». Et 2<sup>a</sup> « In statu vitae contemplativae sive unitivae amittitur omne motivum interestum timoris et spei ». Cf. 5. et 7. et 10. Et sane quod actu identidem ita voluntas feratur in Deum, ut solum ipsum cogitet ipsumque solum velit, id quidem fieri profecto potest et hic est actus perfectae caritatis: sed cum dicitur hunc esse *habitualis status amoris* ut Deus diligatur sine ullo motivo spei, sine desiderio remunerationis, tollitur ab animo dispositio et habitus sperandi et desiderandi bonum nostrum: quod quid est aliud quam ex tribus virtutibus theologicis alteram, scilicet spem, subvertere? Porro si in habituali statu amoris Dei habet adhuc partem motivum spei, potest ergo cum amicitia Dei coniungi desiderium beatitudinis seu Dei boni nobis; sive amicitia divina non exposcit ut praescindamus a bono nostro: si autem amicitia id non postulat, neque id postulabit actus proprius status amicitiae; eatenus enim postularet quatenus est amicitia. Ergo. Cf. et propositiones Molinos damnatas ab Innocentio XI, inter quas 7<sup>a</sup>. Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate Et 12<sup>a</sup>. qui suum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso, nec debet habere desiderium propriae perfectionis, nec virtutum, nec propriae sanctitatis, nec pro-

piae salutis, cuius spem expurgare debet ». Itaque cum quis per actum amoris perfecti fertur in Deum, non est necesse ut non afficiatur quoque ad Deum bonum sibi, sed tum habitu, tum etiam actu huiusmodi affectus simul esse possunt eo modo, quo diximus.

Ex eo autem quod diligitur Deus, diligitur et proximus, quem Deus diligit et ad eandem beatitudinis participationem vocat. Cum enim Deus in beatitudine creaturarum rationalium glorificetur, qui Dei vult bonum, vult quoque hominum gratiam et gloriam, qua Deus cognoscitur, amatur, laudatur. In quo amore proximi, ut monet s. Thomas (qq. Dispp. De Carit. a. 5. ad 2.) Deus non solum est finis, sicut in aliis virtutibus, sed causa formalis; idque significatur cum dicitur diligere proximus propter Deum. Amamus ergo proximum propter Deum non solum praecise ut faciamus eius voluntatem, quod per se esset actus obedientiae, sed quia placet Deus, Deique bonum et gloriam diligimus, quae in salute hominum maxime resplendet. Cf. Th. XI. De Deo Creante.

VIII. His breviter praestititis, defendenda est doctrina communissima Theologorum ab impugnatione cuiusdam eruditii Theologi, nempe Bolgeni. Is enim in suo Tractatu *De caritate* contendit actum proprium caritatis erga Deum esse amorem concupiscentiae: amorem vero illum, qui amicitiae dicitur, quo Deus propter se diligitur, negat esse posse actum caritatis, eiusque notionem in Scripturis et Patribus contineri. Cum heic non agamus nisi per accidens de caritate, satis erit pro scopo nostro haec duo tueri nimirum, amorem illum esse possibilem, eiusque notionem a revelatione hauriri.

Probatio primae partis iam praecipua est tota in praecedenti animadversione, qua distinximus fundamentum ab obiecto amicitiae. Sane possibilis est voluntati amor boni, qui sit secundum modum, quem exposcit natura boni dilecti et qui sit maxime conformis naturae voluntatis ipsius. Atqui talis est amor, quo Deus propter se diligitur: ergo. Maior est evidens. Probatur minor. Et quidem quod huiusmodi amor sit secundum eum modum, quem postulat natura boni dilecti scilicet Dei, res est manifesta; summum enim bonum est per se maxime diligibile, dignumque est, ut ei omnia referantur magisque de eius excellentia et felicitate gaudeatur, quam de quovis bono cuiusque naturae creatae. Difficultas est utrum sit etiam huiusmodi amor secundum naturam voluntatis amantis. Atqui et hoc quoque certum est. Est enim secundum naturam voluntatis dilectio boni ac dilectio boni secundum eam rationem qua diligibile est et ab intellectu apprehenditur, dilectio tandem boni divini secundum rationem *finis ultimi cui*; nam sub hac ratione apprehenditur Deus et apprehenditur maxime esse honestum voluntati ipsum sub hac ratione diligere; est enim voluntas essentialiter ordinata in Deum,

ipsaque existit propter gloriam Dei, quae in eo completur ut ipse sit *finis cui omnium rerum*: ergo voluntas, quae potest secundum quamlibet rationem bonitatis, quae ab intellectu apprehendatur et sibi honesta sit, bonum diligere, potest et Deum sub ratione *finis ultimi cui diligere*, ideoque ipsum diligere proter ipsum. Imo hic actus est maxime conformis naturae voluntatis, quippe quae cum facta sit ad bonum, est tamen speciatim facta ad amandum Deum finem suum et ad amandum Deum magis quam se ipsam; quia non propter se, sed propter Deum tota, quanta est, existit.

Dices: si Deus non spectatur ut bonum hominis, nequit voluntas ipsum diligere; quia haec non diligit nisi bonum suum: quare actus, qui exercetur circa Deum, ut ipse est in se bonus, censi potius debet actus intellectus admirantis excellentiam Dei, quam voluntatis amantis.

Huic difficultati iam fecimus satis in supradicta animadversione. Sane voluntas est facultas in bonum, quae potest quodlibet bonum amplecti, sub qualibet ratione ei ab intellectu proponatur: hoc est primum et maxime essentiale voluntatis: ea quidem non diligit nisi quod est bonum suum, sed 1) ut iam diximus, non est necesse ut illud diligat sub hac formalis ratione, quatenus est bonum suum. Et re quidem vera, si id necesse foret, tunc falsum esset voluntatem posse ferri in quamcumque rationem boni, quod quidem universalitati voluntatis, quae est ad omne bonum apprehendibile, repugnat. 2) Deus spectatus ut est in se bonus, est adhuc quoque bonum voluntatis, nimirum prout est terminus actus voluntatis, qui actus et honestissimus est et suavissimus: honestissimus; quia cum voluntas sit facta propter Deum bonumque cuiusque naturae ideoque et voluntatis debeat referri in gloriam Dei, persuadet ratio ut voluntas magis gaudeat de bono Dei, quam de bono suo: est suavissimus actus; quia delectatio consequitur sive comitatur operationem honestam et maxima delectatio maxime honestam operationem.

Et re quidem vera quisquis bona indole praeditus est experitur in semetipso se capacem esse diligendi alium perfecto amore amicitiae et hunc amorem sibi esse maxime iucundum, et nihilominus non propter hoc sed propter ipsum amicum vult ei bonum eumque gratuito amore diligit. Ad huiusmodi ergo amorem natura ipsa comparati sumus; si vero possunt similes nobis diligere hoc perfecto amore amicitiae, multo magis Deus.

XI. Probandum praeterea est notionem huius perfecti amoris amicitiae erga Deum suppeditari nobis a revelatione. Sane 1) amor erga Deum in Scripturis frequenter dicitur *Caritas*; iam vero caritas est amor gratuitus, teste Tullio De Natura Deorum l. 1. c. 44. dicente: